220131

D. Thomas Aquinas

Ostawski Lucas Jos. Cynthia Aquinatica cultu panegyrico praesentata.

CYNTHIA AQVINATICA
DIVVS THOMAS AQVINAS

Jn Reuoluta Annuali ejus festiuitatis die
JN BASILICA S. DOMINICI ORD: PRÆDIC:
Celeberrimi Conuentûs Posnaniensis.

CVLTV PANEGYRICO

PER

M. LVCAM IOSEPHVM OSTAWSKI

In Alma Vniuersitate Cracouiensi Philos: Doctorem, ac tunc temporis in Lubransciano Collegio Academiæ Posnaniensis Rhetoricæ Professorem.

Anno

IN MVNDO CHRISTVS QVI VIRGINIS VBERA SVXIT, SVGERET VT NON QVIS VIRVS IN IGNE PRIVS.

Ipsis Nonis Martij.

Magnæ Magnorum Virorum coronæ.

PRÆSENTATA

Atq;

MAGNO NOMINI & HONORI.

ILLVSTRISSIMI ac MAGNIFICI DOMINI

D. JOANNIS
DE BNIN
OPALENSKI.

CAPITANEI SREMENSIS

in signum Academicæ propensionis.

Anno, quo in Mundum Dei

FILIVS EXCEPTVS DIGNATVR MVNERE TRINO. 1684

DICATA.

POSNANIÆ, Jn Typh: Rndi D. Alberti Laktański.

Jn Insigne
ILLVSTRISSIMÆ DOMVS
OPALENIÆ.



Si tulit à longè NAVIS *selecta* MARIA
In Mundum PANEM, *si tulit & Cererem.*
Virtutis pia sedes OPALENIA NAVIS.
Fert hodie LVNAM, *cùm tulit illa* PHANEM
Cynthia si felix dum Cancri scandit in astrum
Nostra beatior est LVNA *sacrata* TIBI.

ILLVSTRISSIMO ac MAGNIFICO DOMINO

D. JOANNI
DE BNIN
OPALENSKI.

CAPITANEO SREMENSI

Dńo Patrono ac Mecœnati Academico.

AVgustam cuius exambiret contra oborientes atræ inuidiæ tenebras Protectionem, iterum hodie oriens AQVINATICA CYNTHIA non ingemuit, vbi eam quæreret, cùm præstò in Gentilitia Tua inuenit NAVI ILLVSTRISSIME ac MAGNIFICE DOMINE DOMINE ac PATRONE. Habuit equidem hæc Solis fida socia tot in Sarmatico Orbe Illustrissimas Domos, quæ non ad instar Cleantis radiantis facis radiauêre vnquam, dum in regulam Astrorum Principis tantò magis fulsêre in origine, quantò magis hodie Orbi commendantur. Habuit Sanctissima hæc tot in Patriam amore Codri, amore Curtij: tot in Ecclesiam amore Pij æstuantes an satiùs ardentes loquar, quarum sese insinuaret Protectioni familias, nisi omnium optimè Illustrissimam tuam, quia munificentissimam OPALENIORVM Domûs inscendens Gentilitiam Navim, in ea asylum, in ea quæreret tutamen, vel sic in Fortunatas ventura Insulas. Nec sanè immeritò Tuum in Navi Opalenia expertura expectat CYNTHIA HÆC Patrocinium, quæ merita Magnorum Virorum gratiam, in eadem nunquam adæquanda honoribus merita meditatur. Quid ni Illustrissima Comitum Aquini Familia in D. AQVINATE THOMA sibi intra puppim Argonauis Tuæ petere locum non audeat? in qua Nobilitatis Polonæ, in qua Magnorum Domorum stemmata sibi Augem proposuêre, modò hîc situari mereantur. Hîc Romanas vltra Lunas, luce ac lumine infinitæ stationariam egére DANIELOVICIORVM LVNÆ mansionem, vel hoc solo à cælesti degenerârunt Cynthia, quòd stationariæ. Hîc Vienauitarum in igneo zelantis spiritu LESCINSCIANÆ Domûs VRO decor, Canariarum petijt Insularum oras. Non insigne Rauicianæ Familiæ thema ominis, nisi si non omnis, maxima tamen de Opalenia NAVI PRZYIEMSCIANÆ prodiret gloria Domui. Fasciata vel hodie primùm Fortuna Gentilitiâ Czarnkouianæ ac Zbasciorum Domûs Fasciâ, dum Tuæ Naui ipsa Fascia Fasciata. Tanto citiùs FIRLEIOVIANÆ Domûs Leopardus in metam procurrit honoris, quantò arctiùs iunctus NAVI cum ea agonem Virtutis ardentiùs egit ac feliciùs peragit. Nec vel inde atro damnanda calculo infimi audacia Oratoris, quòd tantorum Luminum centrum, OPALENIAM petat NAVIM Lubranscianæ hîc in Antiquissimam Domum deuotionis vigor, cùm & Pinus Gentilitia Academicarum Fundatoris Musarum Opaleniæ sese concredidit NAVI, vel in Musis Academicis æternùm vt floreret, vel in NAVI hac Platonicis vt perennaret annis. Semel quondam Deorum in Pandoram commendatur gratia, ast in Maximam Domum Tuam toties reuiuiscet Academicæ Palladis, ac totius Nostri Parnassi obligatio, quoties in se suaq; reuoluetur vestigia annus: eousq; non aget Memnonem calamus ac lingua nostra, etiam in Syracouiensi lapide, donec vel Academicum perennabit Nomen, vel OPALENIA Argo immensum immortalis gloriæ tranabit æquor. Fert gratam feretq; non ingratam ILLVSTRISSIME VIR ILLVSTRISSIMORVM Antecessorum Tuorum memoriam Posnaniensis

gnſis Academia, quorum eò magis obtenebror ego claritudine, quò maiores in me experior celebrandi Nominis eorum tenebras. Vel tunc maximè ſecundis vſa fuerat diebus Schola Academica, cùm Illuſtriſſimum IOANNEM de Bnin OPALENSKI Palatinum Poſnanienſem Auum Tuum, cùm Illuſtriſſimum IOANNEM Capitaneum Innoqloclauienſem, IOANNEM LEOPOLDVM Caſtellanum Naclenſem Patruos Tuos: cùm Illuſtriſſimum CONSTANTINVM Patrem Digniſſimum Tuum, intra Lubranſcianos parietes Scholaſticis occupari lugubrationibus, gaudebat: vbi fidos Muſarum ac Academicæ propenſionis ſectatores dies noctibus miſcentes, diligentes viſerat alumnos. Hodie enimverò, cùm tunc OPALENIAM NAVIM viuam, hodiè inquam etiam veſtigia eius veneramur, cùm Gentilitium inſigne hoc non adeò inuidens nobis ætas corroſit in animis noſtris, vt illud in lapidibus non Phidias ſculpat, non Apelles pingat, quia grata memoria. Ac licetſi non parcè Pyratæ vitæ humanæ in NAVIM hanc pyraticam egerunt Parcæ, dum eius decus, Patriæ Herculem, Eccleſiæ Alexandrum, Noſtrum Achillem Illuſtr: Patrem Tuum atro vibrato in eum telo, adeò perculſerunt, vt illi vita, Tibi Genitor, omnibus adimeretur Pater, mæſtis tamen animis vel hoc ſolùm in lenimentum, in ſolatium creſcit, Illum Te talem genuiſſe, in quo viua ipſius idea, Nobis Munificentiſſimus renaſceretur Patronus. Iam ſi in tota Illuſtriſſima OPALENIÆ Domûs NAVI ſuam habeat Academica Schola felicitatem, vel à Te etiam non vltimatam ſperat beatitudinem, qui cùm ſequax ſanguinis Paterni ſis, non minùs Virtutis, etiam in Nos non dedignaberis, etiam in Muſas noſtras agere Mecænatem, quæ tantò Tibi mancipatæ magis, quantò virum literis digniorem à primis vnguibus hucuſq; agis. Dignum laude virum ſemper Muſa vetat mori, nec Tuum Nomen vnquam tenebris inuolutum debitâ deſtituetur Panegyri, quod cùm Magna Tua geſta, etiam literæ facient perennare. Equidem non noſtræ modò Tibi Vectigal propenſionis reddere debent, etiam Tiburis in Tuum Nomen celebrandum agit Nilum. Vidit Te Orbis Polonus prima in ætate ſedulum Philippidem, tantò ſedulius honeſtiſſimis inſudantem artibus, quantò meliùs didiciſti Martiales animas & Martem Artem commendare. Vidit Te exotica Italorum ora nouum Platonem an Pythagoram, vbi omnem in Te mirata virtutem, didicit Polonos nunquam non Magnos, etiam in adoleſcentibus annis. Videt Te interea ac ſuum veneratur prona Patronum Patremq; ſimul Sremenſis Ciuitas, qui eius geris Capitaneum. Non potuit cui meliùs in honorem hic cedere, quàm qui legum cuſtos, immunitatum conſeruator, boni publici foret medella. Quærant alij honorum titulos, OPALENIAM NAVIM ipſi ſectantur honores, cùm & Sremenſis Capitaneatus non cui ceſſit, non alibi felicem ſtationem petere tentauit, quàm in Meritorum ditiſſima NAVI. Ferat iam nectatq; coronas ſuis antiquitas Pijs, ſuis Ciuibus, fert Tibi feretq; dudum & Polona memoria honorem, qui vel hodie indemnitati Domûs prouidiſti cum Illuſtriſ: Proſapiæ KONARZEWIANÆ per ſacra Cõnubia Te Tuamq; iunxiſti NAVIM, vt Magnorũ Sanguinum Decus ſic in Magno ſpei Nato perennaret IOSEPHO. Atq; tantis in Te Virtutibus cùm Muſa, cùm calamus meus nequeat condignas in vltimum nectere periodos, hoc vel illis ſufficiat ſe celebrando Nomini Tuo, celebrandæ OPALENIÆ Naui eſſe conſecratos, etſi impares oneri gerant vices. Sed deſino iam verecundum calamum peccare impotentiâ, & Tuis tantùm pedibus cùm illum, cùm Academicam gratiæ Tuæ ſubmitto propenſionem. CYNTHIAM AQVINATICAM D. de Aquino THOMAM in Academici conteſtationem officij Tuo cùm conſecro Nomini & Honori, Tuæq; Illuſtriſſimæ dum concredo NAVI, Manibus ſimul eandem protegendam offero,

ILLVSTRISSIMÆ & MAGNIFICÆ DOMINATIONIS.

Humilis ſeruus

M. Lucas Ioſephus Oſtáwſki, Phil: Doct:
Matheſ: in Acad: Poſn: Proff:

ORATIO.

RAdiantia Cælorum Sydera nouis artibus inter Mortales cogere, & sublimem illam Poli Majestatem ad humile terrarum consortium prouocare, ipsius Naturæ voto opus periculosæ plenum aleæ, & magni moliminis argumentum. A A. Stupendum illud vniuersi artificium magnitudine suâ mortalem linguam, mentem, conatumque excedens, firmissimâ lege & suaui ordine singula quæque ita suis cancellis distinxit, vt in tanta varietate infima æquè ac suprema citra luctam omnem ordinatâ statione & cursu palam æternam Omnipotentis manum testarentur. Intra viscera terræ occupat sua metalla obductus callo Vulcanus, & laboriosa illa ministrantium turba Brontes Steropesque venarum exquirunt pretia, ampla hæc terrarum spatia Ceres & venusta Flora frugibus simul ac decoribus onerant, pelagus immensum Neptunus inquies Naiadesque perpetuis æstibus miscent; altiorem Cæloque ipsi confinem plagam Auster, Subsolanus, & impiger Aquilo sub cura habent, excubiasque gerunt, vt tantæ excellentiæ fabrica placido consistat gradu. Ita multominus illapsa terris astra mundus salutauit, quibus æterna data lex in Cælo commorari, nec illa etiam in depressum orbem de excelso properant Firmamento. Homini nec concessum in cælum euolare, cui Natiuum est, vt viuens in sublimem non ascendat luminarium Majestatem. *a* Phaëton tentauit Cælo detrahere solem, Terræ detractum dare, luget & ipse temerarij ausûs sui pœnas & Æthiopia hucusque agit pœnitentiam. *b* Assurrexit in superba vota ignea Gigantum cupido, qui pertæsi humanæ conditionis, Cælum & stellas conscendere cogitantes, in montes abiuerunt. Sed vana eorum curiositas; Stellæ Cæli mouent in eos cum Ioue fulmina, nec Mortales sinunt secum conuersari. *c* Icarus in Cælum de Terra cùm tendit, vt Homo in stellam abeat, inuenit perenne sui exitium in æstuantis pelagi aquis, atque hæc infelicitas, vt neq; in Terram de Cælo descendant sydera nec in Terra nascantur. Enim verò non ea solius cæli dignitas stellis in æternitatem commendari: habet & Terra sua luminaria, à quibus in subsequentem posteritatem illustratur. Planetæ & Astra nullius ornamenti cælo sunt, nisi Terræ ut vniuersæ seruiant, motu, luce, influentijs vt sublunaribus prosint. Summi Regnorum moderatores, ingenui Imperiorum Ciues non tantùm decoris quantùm vtilitatis Regno ferunt. Detrahantur de Firmamento stellæ de sphæris Cæli Planetæ, continuus in latepatenti Orbe horror, crassæ inter Mortales umbræ, atra sine die nox, vita ipsa iam mors. absint à Regni moderamine summi senatûs Ordines, magni imperij viri fatalem potiùs exitum salutabit imperium, quàm constantem nanciscetur gloriam, nec salutis prius attinget portum, quàm naufragium patietur. *Ita virtus ac sapientia in summis valet ac refulget viris, vt eos lucem mundi efficiat.* Cum ego hodierno die Diuinissimum contemplor Doctorem THOMAM, ac in eius assurgo gloriam, nouum Sydus Orbi Romano in Prædicantium Religiosorum Illustrissimo Cælo, toties

didici

a Ouid: 2do Metam. b Macr: L. 1. Sat: c Ouid. 3.

didici contemplandum. Iridem quondam venerabamini A. Magnum Docto rem: quia Pathetica oratione deductum accepistis. Solem Aquinaticum nuper Angelicum Magistrum. Hodie non laudatoriam etiam vocem ex me audietis, *nam pro dignitate laudari nequit, qui plusquam laudanda profert:* & Cui unicus fons eloquentiæ Increatus, Cælestis Academiæ de Crucis Cathedra perorans Incarnatus sufficit Orator, d *Bene scripsisti de me THOMA.* Exorientem nunc, uel æquius à tot annorum serie ortam cernetis in Cælo Domini CYNTHIAM AQVINATICAM DIVINISSIMVM THOMAM, Magis hîc adoranda silentio Majestas tua foret, quàm gloriæ miracula citato verborum cursu adumbranda DIVINISSIME DOCTOR, etiam in Isthmo ac Bosphoro orationis meæ, laudum Oceanus es. Immo quantò lux tua DIVA CYNTHIA est celsior & magis uerticalis, tantò major in me vmbra. Peccare tamen malui, quàm aut studiosum affectum non proferre, aut Doctoralem Tuum non sequi: malui obsequens displicere, quàm desidiosus placere. Permittes ergo jam, qui lux lucidissima es, à me sub symbolo CYNTHIÆ, Te videri, cùm & ipsa Magni Dei SSima Mater Poli Regina, e *Pulchra ut Luna sit:* ut eò deuotiori oculo in vmbra sermonis & sub vmbra tua splendorem, gloriam & lucem meditemur. Affulget iam splendor CYNTHIÆ Aquinaticæ tenebris meis, Vestrum adhuc attentionis ac humanitatis expectant radium: fauete attentis auribus placidoque animo: A: beneuolam apud vos mereor humanitatem, qui lucem luminaris huius in vmbra orationis estis conspecturi.

Vellem DEVS Immortalis fecisset A: vt Cælo potius soli gratias ageremus, quàm Terræ cælestes honores quæreremus: prouidisset Rerum Domina vt in sublimi sublimia sola, in terrestri Rep: terrestria non Cælestia fundarentur; sed abijt in extremum humana auiditas, & Cælum sibi in Terra fabricauit. f Ferreum aurei quondam sæculi Filium, cui ludo ac joco sanguis humanus fuit, Neronem: siue accepit siue vidit Orbis, Cælum in Palatio, quem proscripsit superius, fabricasse Sibi; vel ab ipso diues auro, à pretiosis æstimabile unionibus, ab artificioso mirandum opere: in ejus decus, quid quid Terra Nobilitatis, Auarum mare quidquid à scientia hominum secreti habuit, Cælum quidquid à stellis & sphæris ornamenti, totum detulit: ut Romæ tunc genitum credidisses Cælum. Enimvero meliori tibi donatur cælum lege Religiosissime Prædicatorum Ordo, humeris securius Tuis imponitur, cuius Nouum Athlantem DOMINICVM nunquam fessum, semper festum admiramur. Pridem terno decreto Dei castigaretur Orbis, ni Tuus SSimus Pater sese cælo opposuisset fulminanti. Cælum es, non Neronianum illud, aut Zoroastris, quod cum ruente contabuit tempore. Cælum non emendicato affulgens splendore Natiuo sanè in inuidiam alijs assurgens, qui dum proprio nequeunt saltem alieno tentant commendari. Desinat superbire Cælum: cui in Magnitudinem laudis & stellarum Diuina concludendo assurgit vox. g *Numera stellas si potes.* Habes in Firmamento Tui, quo cum Cælo contendas, splendore ac Multitudine impares. Ne capitis loquar acumen huius fundamentum Veritatis in Archiuo Conuentûs Cracouiensis consignatum appello. Cælo mente, Terræ pedibus immersus graditur per Ecclesiam Religiosus, Et ne cæli dignitatem cogitans, Terrestrem seponat, audit & cælo credit. *Quot gressus facis, tot corpora Sanctorum premis.* Sed Cynthiam Diuinissimum THOMAM res poscit & ordo contemplandam. Scrupulosus renuo esse in scrutando Diuinissimi Planetæ motu, patiatur beneuolus

d Vita D. Thomæ. e Cant: 6. f Polib. L. 2. c. 5. g Genes:

lus Aſtronomicus Auditor à me proponi CYNTHIÆ noſtræ aſpectus, quos nec Ephemeris derogat Orbi. Nouilunium, Quadraturas, Plenilunium. Nouilunium Politicus credidit tunc eſſe oculus. Lunam Soli junctam nec orbi nec nocti inſeruire, cum nouit: altius Synodum Vranie ſcrutatur, *lineam Medij Motûs Lunæ lineam medij Motûs Solis conuenire cognatam duorum ſocietatem*. Clariſſimæ CYNTHIÆ noſtræ terret calculus meus notare Nouilunium, cùm nec ortum: prælusit luci oriundæ BONVS prædicans Bonum Eremita, de Dodonea Eremo ſua exit cæleſtem ſpeculatutus gratiam, Genethliacum antequam naſcitur THOMAS ſcripſit Thema; Bonus Aſtrologus de optatiſſimo Infante refert Prognoſim. *Totum fore lucem ſapientiæ & ſcientiâ Orbem illuſtraturum Totum.* Et jam votis orbi demiſſus oritur Infans, claritudine ſui cæleſtem non adæquans vincens etiam Lunam. Naſcitur de Illuſtriſſima Aquinatum Comitum familia, cuius ſplendor tot Orbis diffuſus latifundijs, tot Principum, Regum Siciliæ ac Aragoniæ luce Majeſtatis roboratus, Vnicum THOMAM in ſui delitium edidit: niſi ille illuſtrioris in gratiam aſſurrexiſſet Domûs. Naſcitur Landulpho Comite Aquini & Theodorâ ipſe THOMAS Theodorus. *Quia Donum Dei.* Magna domûs lux, niſi maiorem expectet. Iunctus ſanguine THOMAS Illuſtriſſimæ magnis ſanguinibus comitatæ Comitum Familiæ, ſed ne natiuus ſplendor eclipſetur ſine lucem inacceſſibilem inhabitante, properat CYNTHIA ad Solis coniunctionem, & in ſacra fontis Baptiſmi aqua noua Synodus THOMÆ cum THEO. CYNTHIÆ cum Phæbo. Conſurgite ſæcula ad orientem Diuiniſſimi Nouilunij, & in aſcenſu eius in Auge ſumma, Veſtrûm locate Perigæum. Sacra inter ſanctas fluminis aquas Chriſti cum THOMA coniunctio, & ſuperbis clarior fuit luminaribus: etiam tamen ſecundo Tenellus Planeta jungi properat. *i Electæ ut Sol. l* Fabulam ne veneror ignoro, Lunam in occaſu ſuo turbidæ Oceani dari aquæ, & cum ſonitu occidere. Luna noſtra Luciđiſſimus THOMAS in ortu ſuo inter pueriles Thermas aquis infantiam abluentibus cùm corpus dat, animum ſuum Oceano gratiarum Mariæ immergit. Nihil prius primis delibans labris, quàm ad Baptiſmi aquas Credo, ad calidas undas Aue Marianum diſcens, ſic feliciſſimè alphabetum auſpicaretur. Parce Diuue Doctor quiſquis in barbam turbidæ concluſiſti adoleſcentiæ. *m Difficile eſt admodum de iuuenibus diuinare, eſt enim ætas incerta, ſine ſcopo, multis mutationibus obnoxia, & alias aliorſum agitur.* En Nouus Thales iudiciariam de eis exercet Tullius. *n Studia quæ ſunt in adoleſcentia tanquam in herbis ſignificant, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriâ ſint futuræ.* Benè victurum diuinaſſes quinquennem nunc THOMAM qui intra Benedicti Ordinem uirtuti ac literis ſtudet; creditur educandus, unde lucem orſurus erat pietatis. *o* Luget Alectrion in mundo pœnas ſuæ oſcitantiæ, aduenienti non aſſurrexerat Soli, diuturnis vacans ſomnijs, nunc dormiente die gemit canendo. Vidiſſes diligentem THOMAM etiam Auroram ipſam excitantem, vt fugientem prænotaret noctem. Uidiſſes altis noctibus diuino intentum cultui ſtudioſum. cui de die obſtabat ſtudium, altius & noctes ipſas amori Diuino facienrem uectigales, Et jam Nouilunio CYNTHIÆ Noſtræ, ſplendidiſſimæ Aquinaticæ ſtirpi, Lucidiſſimo Soli Iuſtitiæ Deo, Clariſſimæ lucis æternæ ſedi Mariæ. Fulgentiſſimo Benedictinorum Lumini Collegio juncto, liceat apponere cum Francorum Regina. *Ea lux ſerenitatem adfert.*

Atq; mirantur quartam Lunæ partem humani oculi, cùm Quadraturam in Cælo oriri, *& lineæ Medij Motûs Lunæ lineam Augis Excentrici*

h in Vita Diui i Cant. 6. l Poſydonus m Theophilactus
n Cic. pro Cælio. o Lucianus.

opponi

opponi didicerunt. Vix emensus decennale uiuendi tempus Angelicus adolescens, perosus & natiuum decus quod eclypsari, & bona quæ rapi posse sciuerat, in illa toto votorum ambitu conari cæpit, quæ nec dari queunt ab hominibus nec auferri. Virtutis suæ quò splendidius diffunderentur radij, Procyonis Dominicani facem in Stellato Illustrissimi Patriarchæ cælo dum quærit, etiam sese Planetam in Quadratura mox in Plenilunio annumerauit. Rectè flammifera CYNTHIA sancta Mundo concedenti incendia Illustrissimo Prædicatorum Ordini THOMA Te dedisti, à cuius ignibus & Sole DOMINICO maius posses lumen mutuari, & ipse splendore Tuæ sapientiæ & uirtutis pulchrius nitescere. Et jam egressum domo læta suscipit Sanctissima Religio, ubi virtutem & Sapientiam admirabili fœdere coniungit. Non vni Natus Mundo, prodit in delitium Cæli THOMAS, ut qualem intra claustralia tecta vnumquemque viuere deceat vitam, publicè viuens demonstret. Non enim priuatus uiuere debuit, publico natus bono, nec liberalis Parens lucis communem celare vult gràtiam Cynthia, & splendoris virtute errabundos recreat, & humiditatis fauore languidos reficit. Togam professionis præit Prætexta Nouitiatûs, non alienarum tamen spectator virtutum voluit esse, sed speculum in se exhibuit. Uidisses cum ætate crescente in luce virtutis crescentem Quadraturam, & ubi abiecto de se sensu sanctioris vitæ scintillas & igniculos sepeliret, ibi multiplici exemplo erumpebat flamma tandem aliquando in sublimi spectanda. p *Clamat vestis candida animi honestatem, clamat status, puritatem: clamat vultus castitatem: professio religionem, officium deuotionem: studium contemplationem clamat*, inuenit id totum quisquis voluit in candidissima cæli Præconum Domini CYNTHIA, nihil in ea vel cum Cynici face erroris contra candidam inuenisses Togam, nec Mopsi indagine contra institutum Religionis aliquam cogitationem: in eo candor vestitûs, candorem mentis, triste pallium amicas modestiæ vmbras notarunt, vt iam & vultus & sermo index animi, & vestium color animi nota. Sed cursus Lunæ huius & linea per oppositum Augis æternæ. Currit Cynthia Diva in æternam stationem, in opposito Apogæum felicitatis; consurgunt turbidæ Erebi faces à latere, Planetam à cursu detinere, ut retrogradum valeant efformare. Diue Iuuenis caue ne lux tua umbris inferni obscuretur. Sed nec Solem nec cæli Lunam detinent ferocia Zodiaci monstra, nec blandientes Virgines. Contra Cynthiam nostram non præualebunt portæ inferni, nec potentia obumbrabit. Crassæ nubes doloris & gemitûs, hinc ab orbata Matre, illinc à socijs Plutonis excitatæ, lucem Mundo eripere conantur. Sed Zephiris gratiarum Dei fugatæ primum Machiauellorum stratagema in fauillam cessit. Erumpit iterum contra lucem Ecclesiæ THOMAM rabiosa Erinnis. q Saturno ferocior ablegatum de conspectu quærit Filium: rapit de sancto Conuentu Nouercam induta Mater: ibi nihil Auorum, Atauorum, familiæ valuêre splendores, quos maximè effingebat: fatuos ignes reicit Ignis Cæli THOMAS, nec fulmina, tônitrua timet Planeta flabra hæc ignem CYNTHIÆ magis suscitant non obruunt. Prodit compta in incarcerati Iuuenis lenimentum r Aglaonice, cui non mirum erat Lunam de Cælo detrahere, etiam nunc Lunam de cælo æternitatis evocare pro ludo fore sibi putat: jam impudens ſ Fuluia Caunio amore quæstum procurat; sed non hic cælum, non animum non splendorem mutat, qui etiam nunc extra claustrum abijt. Lunam cæli detinet Caput Draconis, Fortior nostra quam nec caput nec cauda uenientis terruit Draconis: etiam MEDI-

p. S: Hieronimus q Ouidius, r Ouidius. ſ Saluſ. de bello Cantil:

IS FORMOSA IN VMBRIS. Ignea amoris Diuini stella, ignem in sui vocat auxilium: obediens elementum properat: arripit Diuus in Erebi lernā ignitum titionem, aggreditur, fugat, insequitur. Et bene est in cassum pharetratus intendit sagittas Cupido, alta petit CYNTHIA, & in cursu suo velox est. Dispersit Planeta noster luce timoris Diuini vmbras damnatæ nequitiei. Vicit Diuinissimus THOMAS titione in signum Crucis, vt vnde Sol Iustitiæ Christus radios Mundo salutis misit, inde CYNTHIA Solis æterni famula & ipsa triumpharet, & Mundo in trophæum assurgeret. Date triumphum Cæli Sphæræ, cùm luminare hoc de vmbra vix non eclipsationis elabitur. Attollite portas Principes Poli, & eleuate triumphales arcus, introibit triumphator castissimus Mundi: soluite cardines biennalis carceris, in sphæram suam reuertatur Astrum: nam INNOCVVM NEC VINCLA RETINENT. *t* Petrus prima Ecclesiæ angularis Petra nec erubuit de nocte Tullianum deserere. Nec Tu Diuinissime THOMA amplius sæuientis Matris patiaris rabiem, en in ianuam assurgit fenestra. Ereptus benè, abijt jam rediitq; Neapolim. Jam ergo Lucidissima CYNTHIA nostra in Quadro posita Quadraturam patitur. Vbi fortiter umbrosas imagines & splendores Maiorum suorum fugit, ab Illustrissimo æternitatis Phæbo in cælo Dominici illustratur. Perfice quantocius cursum & sta in Plenilunio: sed denegat ob humilitatis & modestiæ amorem, en in studio Philosophico Maximus sub Magno Professore THOMAS Alberto, & hìc confitetur se veram CYNTHIAM. *u* Recordor extulisse quondā Ægyptios eò excellentiæ Lunam, vt cùm Solem Osirim vocauissent Lunam Isim publicarent. Benè Sol Osiris est qui centoculus terrarum flammis opera omnia lustrat. Nec in CYNTHIAM peccauêre, quæ Isis, cui in holocaustum publicus consensus ducebat Bouem. O sanctissime Planeta siccine ubi radijs Tuis ampliora debentur spatia sub Symbolo hoc detinentur. Credo ego extra Axioma esse. Lunam in Quadratura eclipsari, nisi in Plenilunio. Tu Lucem obumbras Tuam, ubi Orbi innotescendum est, eclipsaris vmbrâ Tuæ tarditatis ingenij, & linguæ quæ tandem Orbi & Cælo in stuporem & venerationem assurrexerunt: sed disertissimus cùm taceret, & qui se elinguem fecerat fuit vir omnium linguarum. In Orbis Terrorem Solimanus Turcarum Cæsar Odrysiæ suæ Lunæ indidit Lemma. REDIBO PLENIOR placeat nobis Lucidissimæ CYNTHIÆ nostræ in Quadratura splendenti idem apponere. Redibo Plenior.

Et jam in plenitudinem laudis Diuinissimi THOMÆ mea assurgat Oratio, cum assurgente in Plenilunium CYNTHIA. Orbis ea dignitas, inter diurnas delitias Solis faciem, inter Nocturnas vmbras Lunæ contemplari, Soluit equos in quietem Phaëton, quos auersos Mundus luget sago vestitus tenebroso; conscendit Horizontis limbum in choreas & ludus noctis cum plena facie Luna. *Et in opposito lineam medij Motûs sui cùm Sol proijciat ad Lunam*, etiam eadem in eodem. Magnus noster Magni Discipulus THOMAS & jam in plenissima scientiarum perfectione supra laureatos ipsos est Philosophos, renuit dare caput suum Doctorali coronæ, vel à solo dignè coronandus Cælo, cui Angelorum Cathedra cessit & Professio. Non debes Terra præsumptuoso spiritu Tuum habere Discipulum, quem Cælum genuit sibi Magistrum, & à solo hic & voluit & condignè potuit Cælo coronari. Ast submitte jam dignum verticem Tuum non sertis modo Poli sed Terrenis quas facultas Philosophica & Theologica innectit Tibi. Laurus adoleuit non quam mereris, sed quæ potest conferri. Sternit ad pedes Tuos

t Actor: *u* Tibul. L. 1. El: & Euseb: Lib: de Præp: Euang:

Tuos sacros Herbam Epomidemque Socrates, nec Plato Orbem Lunæ laureatũ Tuis donare audet temporibus, *x* cum Romanis pedibus apponit. Stagyrea Porticus lugubrem quadratum horret dare, quem à Cæli Promotore breui promouendum audiet. Fugit emerita virtus pomposas laurus, nec Diuinissimus Philosophiæ ac Theologiæ studens eas quærit. Sed fugientem insequitur honor, & vicit humilem THOMAM totius expectatio Ordinis & Terræ. Philosophum & Theologum iam miteris. Plenus scientiarum luce, qui plenitudo sapientiæ, & in Plenilunio: Magistrum sententiarum illustrat, cùm enodat. Parisiensem illuminat totius Prædicatorum Orbis sphæram cùm non verba Doctor, sed lucem fundit. Ad mensam Regis Gallorum non eclipsatur Plenissima, quæ terras radijs Angelicæ sapientiæ vmbras fugauit, dissipauit. Orbis totius Oraculum Lugdunense Concilium sine Diuinissimo non plenum Doctore. Ecclesiæ tunc & Mundi Sol X Gregorius cursum Plenissimi syderis Nostri Lugdunum dirigit, vt à Plenilunio Lucidissimi Doctoris suam & potestatem capiat & splendorem. Et jam à Sole ipso æternitatis illuminata in Plenilunio C Y N T H I A Aquinatica. *Benè de me scripsisti* THOMA, nequit eclipsari, cui in maius lumen Cælum in præmium perorat. *Quam ergo mercedem vis, Non aliam nisi Te Domine.* Fælix tantâ gratiâ & luce sæculum, cui extra prodigium binæ in ornamentum assurrexêre Lunæ; eò sanè fortunatius Insulis Fortunatis quo ætatis nostrûm viuentium memoria. Thracia Luna mortalium sanguine purpurea in totius horrorem Mundi nata indies in maius abit Plenilunium. *y* Cælum Tibi arridet Biarmia cuius Luna nescit decrementum, nec augentum suscipit, semper in Pleno: eò mundus in spectanda Lunæ Aquinaticæ dignitate Te inferior, quò primatum omnium hucusque tenuit. Abijt iterum Illustrissima CYNTHIA in Quadraturã non virtutis nec sapientiæ, sed vitæ mortalis: *z Oritur Luna & occidit, & ad locum suum reuertitur, renascens gyrat per meridiem & flectitur ad Aquilonem.* Vidimus Plenissimæ Nouilunium cùm Ortum; Quadraturam, cùm ascensum ad Apogæum sapientiæ: Plenilunium, cùm stationem in Auge. Mæsti nunc Quadraturam iterum contemplemur. Corpus annis defatigatũ jam undè natum in originariam uocatur Terram, post meridiem occasus imminebat. Vale igitur Terra splendidissima CYNTHIA Aquinatica de Hemisphærio mortalium intra lugubrem occidit Horizontem cùm THOMAS moritur *a sic truditur dies die, nouæque pergunt interire Lunæ.* Sed quid juuat funera toties deplorata importuno flectu reducere ad feralem pompã. Verum fateor mortem Magni *b* Myrmidonum etiam & Delopum durissima afficere corda, & ipsius etiam inuidiæ lachrymas mereri, *sed immortalis & excelsus animus non cadere potest nec iacere, semper ille erectus stat, vt intra perennaturæ felicitatis gloriam recipiatur.* Occidit de mortalitatis statu CYNTHIA Aquinatica, sed æternitati orta: Occasu Acronico abijt intra Horizontem vitæ, ubi Sol Lucis & vitæ fons Christus *c* 7. à Calendis die iniquæ gentis cùm subijt mortis decretum, die Parasceues subiuit & occasum, etiam Aquinaticum luminare 7. à Calendis die ipsis Martij Nonis cum occidente occidit Sole. Et jam mortalitatis venit in punctum CYNTHIÆ cursus, sepulchrali demandatur lapidi corpus Diuinissimi Doctoris: *d* loqui Megarensium Mænium lapides oriens quondam docuit C Y N T H I A. à Saxis his quæ sepulchrali imposita Moli cernis Viator flebilem extorquet vocem. CYNTHIA Moriens, quæ lætos secum Terræ uti attulerat, ita abstulit dies: sed quisquis hunc prætergrederis tumulum, non totum in vrna require THOMAM, qui meliore sui parte æternitatem complexus iam potitur Cælo.

x Plut: in Probl: y Olauf. L. 1. C. 2. z Eccl:. 1 .a Horat. b Strab L. 7 & Virg: 2 Æneid: c Anno 1682. die 26. Martii, d Ouid: L. 8. Met.

lo. Nomen illius inter angustias claudi unius sarcophagi minimè potest, *e etiam lapides clamabunt. f Arcâ Lunam ne claudito* ordo Sanctissime: non impedit hæc vmbra illius lumen, nec communes istæ tenebræ laudes retardant nunquâ eclipsari gnara inter sepulchrales non eclipsabitur tenebras CYNTHIA. *g Virtus sepulchri nescia funebrem nec noscit vmbram. h Idem Phosphorus aspicit magnum quem tenuem viderat Hesperus.* Nec patitur Oceanus Cimelia sua abscondi, quæ si non inueniantur etiam in littora proijcit. Fodinas opum suarum tellus certis metallorum indicijs prodit. Rumpit cortinam suam olea, sudant oppobalsama. Nec splendor splendidissimæ Aquinaticæ CYNTHIÆ nube obuoluetur sepulchrali, rumpet eam diffusa in Orbem charitas vt tantò celerius eius erumpat claritas, quò citius fidelium erepta oculis. non adeò tamen eclipsata est, vt periret. etiam rapida in Zwingliani ac Luteri rabida dogmata è tumba Diui ac ejus calamo resurgent arcana, vnde Ecclesiæ Romanæ Vigor reniteret: etiam à cinere Diui reuiuiscet meliori jure Metempsichosi Pythagoreâ vitâ spoliatorum cinis, ad quem & agonizantium melior in vitam à morte, à Parcis ad renatam Lucinam agon, & Heracliti in Democritos stupenda Metamorphosis, vbi Sola CYNTHIA dabit mæstis solatia.

Atque Occidentem inter mortalium gaudia cum mærore Sanctissimum Doctorem mea sectatur etiam in occasum Oratio. Vidimus siue ab Illustri Aquinatum familia, siue à cælesti lucis fonte radiantem in Nouilunio, à splendidissimo Dominicani Firmamenti decore in Quadratura prima, à Clarissimo scientiarum splendore in Plenilunio Orbi nitentem Vniuerso CYNTHIAM, ac tandem medios inter labores occidentem in Quadratura ætatis: assurgant vota nostra in sanctissimi Cælorum Ciuis, Polonorum Patroni, Angelorum Doctoris honorem, & noua obligationis voce venerabunda virtutum admiratione CYNTHIAM Aquinaticam æternè ueneremur. Gaude iam inter gratulatorios totius Orbis & Cæli applausus Inclyte & florentissime Ordo Prædicatorum: Tibi cùm mundus debeat maximas gratias etiam Cælum in Tuas assurgit. Ruisset pridem fatali occasu in præceps Terra, nisi Rosæ Tuæ Marianæ in Rosario, stellæ & ornamenta in Cælo succurrissent, gaudent elati Poli, quibus in decus noues mittis & foues Ciues: est vnde glorieris Magne Ordo aliorum facundis non vtique indigus laudibus, cui domi lucidi Soles, domi splendida nascuntur Sydera: supra hæc tamen Sydus Aquinaticum ceu CYNTHIA inter minora Astra, habes, quod fulget: lumine suo decus Ecclesiæ, ornamentum Orbis, Scholas Academiarum, Cathedras Scholarum in immensum augens. Iam igitur sta in æternitatis Auge nunquam stationaria CYNTHIA, fidei Doctor, summa Theologiæ, Amplissime ac Diuinissime THOMA, habet Te suum æternitas Ciuem, cui perpetuum fine occasu concedit orientem. Age nescium vmbræ Lucis & Luminis Sydus Thraciam noctium Præsidem Lunam Tuâ obfusces claritudine, nec mirum est minora ad maiorum lucem obscurari sydera. Accurrimus ad Iubar Tuum supplici fidentiq; voto petentes, ut Serenissimæ Inuictissimi Regis nostri IOANNIS III. affulgeas Majestati, Polonæ faueas saluti: Catholicæ Religioni prouideas Doctores Doctor Sanctissime; Almæ Matris meæ Cracouiensis Academiæ constantem sceptris ut Rector & Doctor reddas fulgorem. Lubransciani Collegij Pinûs dilates frondes. vt per Te Aurei Ecclesiæ, Patriæ, Academiæ, Vrbi huic fulgeant Soles & Lunæ, per Te CYNTHIAM, Horizonti Polono imminens deturbetur Odrysia Luna.

DIXI.

e Luc: 19 f Pyth: g Horat: h Sarbic: